VIR EXCELLENTISSIME atque AM-
PLISSIME,

Patrone maximopere colende,

Ego vero eximiam, quam cepi, laetitiam ex TUIS, VIR EXCELLENTISSIME, litteris iisque gratissimis ad me exaratis, vix, ac ne vix quidem verbis exprimere possum. Mirifica TUA, quam demonstrasti, benevolentia TE iam veneranti novum suppeditat venerationis argumentum. Permittas igitur quaeso, ut et in posterum si non primum primo saltem proximum inter eos occupem locum,

qui TE in primis colunt, et, si licet, sincere amant. Iudicium TUUM per quam honorificum de auctore transmissi scripti id tandem effecit, ut, me illius esse auctorem, amplius celare religioni mihi ducerem. Cum Fautoribus enim cordate agendum esse reor. De nova, quam paras, historia Litteraria theologiae ad nos perlata fama insignem excitavit cupiditatem quamprimum illam videndi. Cur vero non excitaret eam, quum haec studiorum genera praecipue excolere tentem. Si quid officiu hac in re per meas, quas admodum exiguas esse probe scio, vires TIBI, PATRONE OPTIME, praestare valerem, iucundissimum mihi esset negotium. Impera itaque, me invenies promtissimum paratissimumque. Ceterum incredibilem TUAM, quam semel declarasti, benevolentiam ulterius conserves, obnixe rogo, et TUO favore, quo nihil prius antiquiusque mihi contingere potest, porro amplecti haud dedignare

TUI NOMINIS EXCELLENTISSIMI
amplissimique

cultorem obseruantissimum
M. Ioannem Georgium Hagerum

Scribebam Lipsiae, d.
13. Maii 1737.